

grue appellaueris. Nam quod natura domino tantum concessit ius, hoc ius ciuile tribuit bonae fidei possessori, quo vsque res, quam possidet, euicta nondum est, ad imitationem veri domini. Ita occupatio, quam bellicam vocamus in scholis nostris, ad modos acquirendi originarios refertur. Sed itidem magis videtur quasi originarius dicendus. Res enim hostium, quas occupando in bello iusto acquirimus, hostium sunt, non nullius, ^{d)} attamen, quia dominium hostis non impedit, quominus iure ea facto nostro occupare, eique auferre possimus, ideoque hoc solo facto nostro eas acquiramus, nec ab hoste earum dominium in nos transferatur, ideo quasi iure rerum nullius censentur. ^{e)}

C A P V T II.

§. I.

Et huic quaestioni, quam huc usque tractauimus, altera proxima, qua quaeritur de fructibus naturalibus, qui solius naturae beneficio, absque hominum industria & cura, proueniunt, an etiam ad bonae fidei possessorem pertineant? De qua quidem, non quid nostrates homines sentiant,

^{d)} Ad res nullius autem alias occupatio proprie sic dicta, quae modum acquirendi originarium constituit, restricta est. Vid. L. 3. pr. D. de acquir. rer. dom.

^{e)} Hunc in modum rem explicat PFENDORF in *Jure naturae & gentium Lib. IV. cap. 6. § vlt.*